

Histoire de l'abbaye royale de Saint-Pierre de Iumièges,

par un religieux bénédictin de la Congrégation de Saint-Maur, publiée pour la première fois par l'abbé Julien Loth. Tome I. — Rouen, Ch. Métérié 1828.

In—8°, de XXII. — 384.

Abbatia Iumièges, Gemmaticum seu Gimelæ, anno 655 a sancto Philiberto, monasterii Rebais abbate primo, in peninsula Sequanae inflexu loco formata Rothomago paulisper superiore fundata est. Clodoveus II. Franco-Galliae rex atque Sancta Bathilda regina benefactores huius monasterii fuerunt principales. Stupenda prosperitas fundationem secuta est: regnante sancto Aichadro, sancti Philiberti successore primo, monachi noningenti, fratres conversi mille quingenti fornices splendidae basilicae resonare fecerunt Domini laudibus et canticis. Permagnum Sanctorum numerus floruit in abbatia illa, inde a temporum primordiis Montis Casinensis Patriarchae regulam observante. Plures regiae stirpis principes hic iacent sepulti v. g. Carlomanus, Caroli Martelli filius natu maior; Thassillo, dux Bavariae eiusque filius Theodorus, qui in illo monasterio e vita decesserunt. Cognomen, quo publica gratitudo hanc abbatiam decorabat, testimonium perhibet de virtutibus hicce exerceri solitis; appellatur enim „Iumièges-L'aumônier“ (Gimelae-egentium Cura). Quod nomen solum sat diserte de largitate loquitur, qua spargebat coenobium quoquoersus per istam regionem beneficia sua. Iumièges nominari etiam poterat „Sancta“ ob magnum religiosorum numerum, qui bonum virtutum suarum relinquentes, circiter quadringenti certe computantur. Docta quoque appellari potuisset abbatia haec, etenim scientias ac literas colere nunquam desiit. Scholae coenobii permultos alliciebant ad se discipulos, pluresque ex illis prodierunt viri conspiciui, quorum primus commemorandus venit historicus Guillelmus Robert, factus postea archiepiscopus Cantuariensis. (Canterbury.)

Abbatia Iumièges pluries devastata est et bellorum calamitate et piratarum atrocitate. Pluries etiam eius disciplina renovari debuit atque emendari. Postrema disciplinae renovatio a Congregatione sancti Mauri introducta est ineunte seculo XVII. Coenobium adhuc dies vere serenae expertum est cum quoad pietatem, tum quoad scientiam, nobilesque reliquit sui memorias, quam revolutionis immanitas 1791 pios expulit coenobitas, quorum unus monasterii historiam scribere iussus est, qui studiose iam incubuerat tabulariis perscrutandis et praeparandis materiis; quum praeparatam edendi historiam accepisset mandatum. Opus eius simplex et plenum candoris declarat, auctorem nil omnino sibi vindicasse, quinimo nomen proprium celasse. Societas historica Normanniae consilio ducta in lucem edendi propriis sumptibus praeclarum hoc opus, sacerdoti Juliano Loth editionem praeparandi eique invigilandi curam mandavit, qui vir vere doctus munere suo functus est eodem cum studio religioso, quod intulerat in opera ante iam confecta. Duobus prodibit opus voluminibus, quorum hucusque prius in publicum prodit. D. P. Piolin.

Sainte Scholastique, son histoire,

ses reliques et son pèlerinage à Juvigny - les - dames (Meuse) par l'abbé F. A. Loison, curé de Juvigny. — Bar-le-Duc, Oeuvre de Saint-Paul 1881. 1. vol. in — 12, de 186 p.

Abbatia de Juvigny propter reliquias S. Scholasticae in ipsa reconditas celebris quidem, non tamen ea gaudens fama, quam pro tanti thesauri ratione iure promereret, inter dioecesis Trevirensis limites sita, prope Stenoy multas fecit ex diversis fontibus pecunias. Optandum, ut opus per sacerdotem D. Paulin anno 1857 in lucem editum, et „Historia S. Scholasticae eiusque reliquiarum“ inscriptum, cuius exemplaria brevi divendita sunt, iterum prelo subiiciatur; opere enim D. M. Loison, cuius pars historica perexigua, nequaquam recompensabitur. Inveniuntur nihilominus in eo tractatus memoratu digni atque documenta positiva regimen abbatissarum Gabriellae usque ad Scholasticam de Livron